nesciret. Simplicitas enim quaeritur, non ambitio desideratur. Haec
contemnenda putes quasi verba vilia a pastorum? A pastoribus et Maria
fidem colligit; a pastoribus populus addit reverentiam, congregatur. Mi
rati enim sunt de his quae dicebantur a pastoribus ad ipsos.

Maria autem conservabat omnia verba haec conferens in cor
de suo. Discamus sanctae virginis in omnibus castita
tem, quae non minus ore pudica quam corpore argumenta fidei confe
rebat in corde. Si Maria a pastoribus discit, cur tu declinas
discere a sacerdotibus? Si Maria ante praecepta apostolica tacet,
cur tu post apostolica praecepta magis cupis docere quam discere? Di
sce personae vitium esse non sexus; sexus enim sanctus est. Denique Ma
ria praeceptum non accepit, exemplum edi—dit.

De circumcisione domini. VII.

Circumciditur etiam puer. Quis ille puer, nisi il
le de quo dictum est: puer natus est nobis, filius datus est
nobis. Factus est enim sub lege, ut eos qui sub lege essent (al. erant) lucrifaceret.
Sistitur autem in Hierusalem. Quid sit autem in Hierusalem sisti domino dicerem, nisi
in Esaiae commentariis ante dixissem. Circumcisus enim vitiis domino
dignus iudicabatur optutu, quia oculi domini super iustos. Vides omnem
legis veteris seriem fuisse typum futuri; nam et circumcisio purgati
onem significat delictorum. Sed quoniam propensa quadam cupiditate peccan
di humanae carnis et mentis fragilitas inextricabilibus vitiis im
plicatur, eo per octavum circumcisionis diem culpae totius futura pur
gatio resurrectionis praefigurabatur aetate. Hoc est enim illud: quia
omne masculinum adaperiens vulvam sanctum domino vocabitur. Verbis
enim legis promittebatur virginis partus. Et vere sanctus, quia imma
culatus. Denique ipsum esse qui lege signetur, in eundem modum ab an
gelo repetita verba declarant: quia quod nascetur in te sanctum vocabi
tur filius dei. Non enim virilis coitus vulvae virginalis secre
ta reseravit, sed immaculatum semen inviolabili utero spiritus